

periclinio. Corollulae glabrae infundibuliformes, limbo quinquepartito, laci-
niis angustis lanceolato-linearibus patentibus pallide violaceis tubum longitudi-
ne aequantibus. Antherae albae. Stylus longe exsertus, violaceus; stigmata re-
curvata, ad lentem ciliata. Achenia matura obconica, fuscescentia, pilis candidis
erectis dense vestita, apice truncata et pappo dupli, exteriori facile deteren-
do, coronata. Pappus exterior brevissimus, e paleis acutis inaequalibus, in-
terior capillaris, e pilis candidis tubo corollulae longioribus et maturitate deci-
duis formatus.

Obs. Inter *Vernonias Lepidoploas* Cass., quae omnes Americae calidio-
ris incolae sunt, species nostra *V. arborescenti* quodammodo similis est, sed
inflorescentia satis recedit. Inter affines *Conyzas* cum *C. Caroliniensi*
comparanda esset nostra, si plantam alias generis huc trahere liceret.

Cultura. Solum, quo laetissime vigeat, isti plantae paullo accuratius
parandum est ex humi foliorum partibus tribus, margae terraeve caespitum
duabus additaque una parte arenae. Calore caldarii una cum aliis eiusdem patriae
fovenda est; neque tamen areae corticis coriariorum ollam immergi opus est,
dum aëre gaudeat libero soleque, in repositorio ligneo collocata. Propaga-
tioni inserviunt rami pangendi et semina; peractaque sementi, testa, cui se-
men imponebatur, vaporario committenda. Tum brevi exeunte semine, sur-
culi novelli, cum post aliquot menses invaluere, in alias singuli testas trans-
feruntur.

S.

Explicatio Tabulae V.

- a. *Vernoniae tomentosae* ramus magnitudine naturali.
- b. c. Folia caulina, magnitudine naturali.
- d. Calathidium integrum, magnitudine naturali.
- e. Flosculus singulus, aucta magnitudine.
- f. Squamae periclinii, magnitudine aucta.
- g. Clinanthium cum Achenio singulo, resecto ex altera parte periclinio, magnitu-
dine aucta.

LAVATERA Lin.

Monadelphia Polyandria Lin. — Ord. nat. *Malvaceae*.

Ch. ess. Calix duplex; exterior monophyllus, tri-sexfidus. Cocco diaeresilis monosperma, indefinita.

Lavatera silvestris Brot.

L. caule herbaceo erecto scabro, foliis cordatis angulato-quinquelobis obtusiusculis, pedunculis aggregatis petiolo longioribus.

Syn. *Lavatera silvestris*, caule herbaceo pube stellata scabro, foliis obtuse angulatis subrotundis, summis subtrifidis acutis, pedicellis unifloris geminis ternisve petiolo brevioribus (?), involucellis tripartitis. Brot. Fl. Lus. II. p. 277. Link in Schrad. n. Iourn. Vol. II. I. p. 101. Dec. Prodr. I. p. 440. — L. sicala Tin. Pug. I. p. 14? Schrank. Bot. Z. 1819. p. 586? — L. Weinmanniana Trev.? (e Candollio).

Habitat in Lusitania. Biennis vel perennis.

Descr. Caulis erectus, basi lignosus, ramosus, obtuse angulatus, setulis brevissimis fasciculatis tuberculo impositis ad tactum scaber. Folia alterna, longe petiolata petiolo superne canaliculato setulis stellatis scabro, omnia suborbiculata, profunde cordata, setulis supra solitariis infra fasciculatis scabra, duplice - et minutim crenato - serrata; inferiora obtuse septemloba, superiora sensim minora, quinqueloba, lobis serraturisque profundioribus et magis acutis. Stipulae triangulari-acuminatae, ciliatae, patulae, marcescentes. Flores ex foliorum superiorum axillis bini, terni vel quaterni, pedunculati, pedunculis pollicem dimidium circiter longis teretibus fasciculatum hispidulis petiolo longioribus. Calix turbinatus, minute subtomentosus; exterior trifidus, laciniis ovatis obtusiusculis, interior 5-fidus, laciniis ovato-acuminatis. Corolla ampla, laciniis obovatis profunde emarginatis roseis basi albidis lineisque et saturatiorebus pictis. Genitalia alba.

A dnot. *Lavatera cretica*, isti propius accedens, definienda est:

L. caule hispido-scabro diffuso, foliis orbiculatis quinquelobis acutis, pedunculis aggregatis petiolo brevioribus.

Quod *Candollius* l. c. pedunculos petiolo breviores tribuat plantae suaे, minus offendet, si consideraveris, *Lavaterae Creticae* pedunculos multo, breviores petiolo ab eodem auctore tribui; scilicet inferiores pedunculi petiolum vel attingere longitudine, vel etiam eo esse breviores, non semel observavimus, superiores autem non solum petiolo sed ipsis etiam foliis floralibus saepe longiores. Proceriores itaque pedicellos floribus *Lavaterae silvestris*, quam *Creticae Lavaterae* floribus esse, in universum statuens, simulque ad *Lavateram ambiguam*, e pedicellis folio (nec vero petiolo) longioribus distinguendam, respiciens, inferiorum magis quam superiorum peduncularum longitudinem descriptisse videtur Auctor iste celeberrimus. Liceat autem de *Lavatera ambigua*, num diversa sit a *silvestri*, an eius varietas? movere dubia.

Cultura. Cum secundo anno floreat haec planta pereatque maturo semine, vel si ulterius etiam vitam perduxerit, aegrotet tamen neque amplius ad pristinum decus resurgat, quotannis novam sementem ut facias, necesse est. Solo quocunque fertiliori crescit, dum ne sit indolis nimis spissae. Perit hie-mali frigore eoque vel levissimo necatur; quam ob rem testis imponenda est et in frigidario, cum frigus increscat, conservanda. S.

Explicatio Tabulae VI.

- a. Planta magnitudine naturali.
- b. Flos, ad verticem dissectus, naturali magnitudine.
- c. Calix cum fructu immaturo magnitudine naturali.

A D D E N D A.

Pag. 5. lin. 8. inf. adde inter synonyma *Lecanocarpi caulinflori*: *Acroglochin chenopodioides* Schult. Mant. S. Veg. I. p. 68. et 227.

Cum tabulam nostram, ante annum et quod excurrit impressam, immutari fas non esset, *Lecanocarpi* nomen, quod ipsi olim plantae imposueramus, in textu conservavimus, tametsi animus non sit, extrudere isto consilio nomen *Acroglochin Schraderianum*.